

ut validissimum praesidium, exciverat, iners ipse, alienisque virtutibus tunc quoque invidus imperator, quum ope earum indigeret, tantam admirationem tui, non sine quodam timore conceperit, quantam ille genitus Jove post saevos labores, duraque imperia regi suo indomitus semper indefessusque referebat; quum aliis super alias expeditionibus munere alio dignus invenireris.

XV. Tribunus vero disiunctissimas terras, teneris adhuc annis, viri firmitate lustrasti: jam tunc praemonente fortuna, ut diu penitusque perdisceres, quae mox praecipere deberes. Neque enim prospexisse castra, brevemque militiam, quasi transisse contentus, ita egisti tribunum, ut esse statim dux posses, nihilque discendum haberes tempore docendi. Cognovisti per stipendia decem, mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, et diversam aquarum coelique temperiem, ut patrios fontes patriumque sidus, ferre consuevisti. Quoties equos, quoties emerita arma mutasti! Veniet ergo tempus, quo posteri visere, visendum tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quae refectiones tuas arbores, quae somnum saxa praetexerint, quod denique tectum magnus hospes impleveris: ut tunc ipsi tibi ingentium ducum sacra vestigia, iisdem in locis, monstrabantur. Verum haec olim: in praesentia quidem quisquis paullo vetustior miles, hic te commilitone censetur. Quotus enim quisque, cujus tu non ante commilito, quam imperator? Inde est, quod prope omnes nomine appellas; quod singulorum fortia facta commemoras: nec habent adnumeranda tibi pro republica vulnera, quibus statim laudator et testis contigisti.

XVI. Sed tanto magis praedicanda moderatio tua, quod, innutritus bellicis laudibus, pacem amas: nec quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuae die dicata Capitolino Jovi laurus, idcirco ex occasione omni quaeris triumphos: non times bella, nec provocas. Magnum est, Imperator Auguste,